



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 12. Quibus Clericis prohibitum deferre tonsuram & habitum Clericalem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



Barbos. in *collect. Tom. 1. l. 3. tit. 49. c. 7.* & alii, quos citat & sequitur. Delb. *c. 4. du. 9.* Ratio eorum est, quod licet Trident. loquatur solum de amissione privilegii fori, idem tamen sensisse videatur de privilegio canonis; eo quod hoc facilius amittatur, utpote quod provenit ex jure humano, quam privilegium fori proveniens ex jure divino, ut Abb. *in c. 1. de apost. num. 6. & in c. perpendimus. de sent. excom. Sylv. v. excommunic. vers. 6. num. 4.* Suar. *de immunit. l. 2. c. 27. num. 24. &c.* Tridentinum etiam citat *c. unicum. de cler. conjug. in 6.* ubi expressè dicitur de iis: *si tonsuram & vestes deserant clericales, privilegium retineant canonis*; unde manifestè inferitur, eos illud amittere, si non differant tonsuram & vestes.

2. Oppositam seu negativam tenent Nav. *l. 5. consi. 24. de privil. Molin. de just. & jur. tr. 3. d. 54. num. 9.* Less. *de jur. & just. l. 2. c. 33. du. 5. num. 38.* Comit. *resp. mor. l. 6. q. 20.* Gonz. *ad reg. 8. Cancel. Gl. 5. §. 5. num. 7.* Bellet, *disquis. cler. p. 1. tit. 3. §. 8. num. 59.* Dian. *p. 1. tr. 2. resol. 34.* & alii apud Delb. *l. c. num. 4.* dicentem factis quoque probabilem esse hanc sententiam, quam ex recentioribus sectantur Wieftn. *h. t. num. 54.* Reiffenst. *num. 80.* Referunt pro ea Gonz. Dian. Comit. declarat. S. Cong. Card. Interp. Trident. sub his verbis. *clerici, qui in hoc decreto Concilii privilegio fori privantur, privilegio tamen canonis non intelliguntur privati &c.* Ratio horum AA. est, quod, cum de jure communi clerici omnes, nulla facta exceptione, fruantur privilegio canonis, Tridentinum etiam jus hoc non restrinxerit ad clericos deferentes habitum, uti illud restrinxit quod ad privilegium fori, & privilegio clauso in Corpore juris (quale est privilegium canonis) nunquam censeatur derogatum, nisi de eo fiat expressa mentio, ut Suar. *de LL. l. 8. c. 38. num. 1.* Salas *d. 17. f. 14. num. 73.* Sanch. *in opusc. Tom. 1. l. 7. du. 19. num. 20.* Caltrop. *Tom. 1. tr. 3. d. 4. p. 21. §. 4.* Pont. *de matrim. l. 8. c. 19. num. 16.* &c. neque nos debeamus restringere hoc privilegium ad clericos deferentes habitum, cum simus in materia odiosa. Neque etiam valeat illatio à privilegio fori ad privilegium canonis; cum à diversis non rectè fiat illatio. *l. precipimus. ff. de minoribus.* Privilegium autem fori, quippe quod derogat jurisdictioni Judicum secularium, & sic propter horum querelam, & coercendas insolentias quorundam clericorum Constitutorum in minoribus, sine habitu clericali aliisque requisitis à Trid. vagantium faciliùs tolli oportebat, quam privilegium canonis, utpote quod non lædens jurisdictionem laicorum, sed solummodo refrænans laicos ab injuriis inferendis clericis, quibus infens, magis necessarium; cum magis inhonoretur status clericalis percutiendo clericum; quam conveniendo illum coram Judice laico. Limitant tamen & ipsi hi authores suam hanc sententiam, ut procedat, nisi obstet quorundam locorum legitime præscripta consuetudo, quæ ei derogari potest; cum privilegium illud solo jure Ecclesiastico inductum, uti etiam ei in hisce partibus derogatum censetur, ea etiam ratione, quod tales clerici non deferentes habitum, aliaque requisita præstantes à laicis vix discerni possint. Porro quod hic dictum de privilegio canonis, idem dicendum de immunitate à gaballis. De quo vide Delb. *tit. dis. 19.*

*Quæst. 12. Quibus clericis prohibitum deferre tonsuram & habitum clericalem?*

**R**Esp. Primò: ad prohibitum istiusmodi clericis minorum Ordinum, dum publicè in statu seculari viventes exercent judicia, criminalia aliosque actus statui clericali repugnantes. Sanch. *conf. mor. l. 7. c. 1. d. 44. num. 6.* citatis præter alios Nav. *in sum. c. 15. n. 110.* Soto *in 4. dist. 24. q. 2. a. 1. vers. rursus.* Sylv. *v. clericus. 2. §. 2.* Angel. *v. eod. q. num. 2.* Estque ratio, quod indecens sit exercere actus statui contrarios deferendo signum status illius. Sic quoque prohibetur deferre tonsuram & simul partitam, *Clem. 1. h. t. censentque Sylv. & Ang. LL. cit.* apud Sanch. peccare mortaliter clericos minorum Ordinum etsi beneficio careant, si publicè deferant tonsuram cum veste partita. Secundo prohibitum id ipsum dictis clericis, dum facti bigami, vel nupserunt corruptæ, & quidem sub anathemate, hoc est, sub excommunicatione ferenda. *c. unic. de bigam. in 6.* Sotus *l. c. a. 1. ante. solution. ad 1.* Richard. *in 4. dist. 24. a. 4. q. 3.* Sanch. *l. c. num. 7.* non tamen prohibetur religiosis, si bagami sint, deferre tonsuram clericalem, ut Sanch. *l. c.* qui etiam addit: idem esse de omnibus, pro quo citat. D. Antonin. *3. p. tit. 14. c. 116. §. 6.*

*Quæst. 13. An & qualiter prohibitum clericis gestare arma?*

**R**Esp. Clericis prohibitum sub excommunicatione portare arma, intellige gladios bombardas aliæque ad offensionem & defensionem parata. *c. 2. h. t. ubi clerici arma portantes & usurarii excommunicantur.* Unde patet illos peccare mortaliter deferendo arma; cum excommunicatio, utpote quæ major non est in Ecclesia pœna *c. corripuntur. 24. q. 3.* non fertur ad intentatur nisi ob peccatum mortale. *Can. nemo Episcoporum. 11. q. 3.* Patet item ex *cit. c.* excommunicationem illam non esse sententiæ latæ sed ferendæ per Judicem, dum, clerici desuper moniti arma non deponunt & sic accedit contumacia Abb. *in cit. c. 2. num. 8.* Barbos. *in idem c. num. 3.* Pith. *h. t. num. 22.* Monachi autem intra septa monasterii retinentes arma sine licentia superioris ipso facto sunt excommunicati; cum locus sacer aggravet delictum. *Clem. ne in agro. §. quia vero. De statu monachali.* junctâ *Gloss. v. tenentes.* Abb. *ibid. num. 20.* qui etiam idipsum extendit ad quoscunque religiosos contra *Gl. in cit. Clem. v. monachos.* excipientem canonicos regulares. Nequaquam tamen hæc extendenda ad clericos seculares, in Ordinibus tantum minoribus constitutos; cum hi, sicut non obligantur ad deferendum habitum & tonsuram clericalem, ita etiam non obligantur ad incedendum sine armis; quamvis unâ cum habitu & tonsura arma deferre prohibeantur, non secus, ac in habitu clericali exercere statui clericali contraria juxta dictâ *quæst. præced.* Nihilominus & clericis in sacris constitutis in nulla causa licitum gestare arma, tam offensiva quam defensiva, ad se suaque defendenda, dum periculum